



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

3  
RECTOREM  
ACADEMIAE. MAGNIFICVM  
PROCERES. VTRIVSQUE. REIPUBLICAE  
GRAVISSIMOS  
IVXTA. CVM. CIVIVM. ACADEMICORVM  
CVIVSVIS. ORDINIS. CORONA

AD. AVDIENDAM

ORATIONEM

QVA

DEMANDATAM. SIBI. AVCTORITATE  
PUBLICA

PROFESSIONEM. MORALIVM  
ET  
POLITICES. ORDINARIAM

*AD. DIEM. XX. IVL. MDCCXII.*

H. L. Q. C.


AVSPICABITVR

QVA. DECET. OBSERVANTIA. ET. HVMANITATE  
INVITAT

GOTTLOB. FRIDERICVS. JENICHEN  
P. P.







A. Ω.



On nudius tertius demum in scholis Philosophorum excogitatum, sed a Menedemo Eretrienſi, & ab Aristone Chio, & ab Apollonophane & a Megaricis, sparſum ſubinde in fragmentis ſuis ſapientiae diuiniore ſciturum eſt: V I R T U T E M , quoad eſſentiam & in ſe ſpectatam, non niſi eſſe V N A M . De Menedemo & Ariſtone, ſapientiae Magiſtris antiquiſſimis, memoriae hoc poſt Laërtium & Tullium pro-

didit Plutarchus Chæronenſis, quando, ὁ Μενέδημος, (a) ait, ὁ ἐξ' Ἐρετρίας ἀνήκει τῶν ἀρετῶν καὶ τὸ πλῆθος, καὶ τὰς Διαφορὰς, ὡς μιᾶς ἕως καὶ χρωμένους πολλοῖς ὀνόμασι. τὸ γὰρ αὐτὸ σωφροσύνην καὶ ἀνδρείαν καὶ δικαιοσύνην λέγεσθαι, καθάπερ βροτῶν καὶ ἀνθρώπων, Menedemus, cui patria fuit Eretria, virtutum & multitudinem ſuſtulit & differentias, quod vnam eſſe arbitraretur, quae diuerſis vteretur nominibus. Idem enim dici temperantiam, & fortitudinem, & juſtitiam, quomodo idem ſunt mortalis & homo, ſeu vt Xylander vertit, gladius & enſis. Ἀριſτων δὲ ὁ Χίος, pergit, τῇ μὲν οὐσίᾳ μίαν καὶ αὐτὰς ἀρετὰν ἐποίει, καὶ ὕγιαν ὀνόμαζε· τῷ δὲ πρὸς τι πῶς Διαφορὰς, καὶ πλείονας, Ariſto autem Chius vnicam & ipſe quod ad ſubſtantiam attinet, virtutem fecit, ac ſanitatē adpellauit: certarum autem reſpectu rerum plures. Cui Plutarchi teſtimonio licet refragari videatur locus Laërtii (b) vbi de Ariſtone verba faciens, ἀρετὰς, inquit, οὕτε πολλὰς ἐπέηγεν, ὡς ἐ Ζήνων, οὕτε μίαν πολλοῖς ὀνόμασι καλουμένην (ὡς οἱ Μεγαρίκοι) ἀλλὰ

( 2

καὶ

(a) comment. de virtute morali p. m. 440. add. Stanlejus P. III. hiſt. Phil. c. II. p. 274. ed. lat. (b) in vita Ariſtonis L. VII. ſegm. 161. add. Menagii obſeruat. h. l.

καὶ τὸ πᾶς τι πῶς ἔχειν, virtutes neque multas inuexit, vt Zeno, neque vnam, qua multis adpellatur nominibus, vt Megarici, sed & quod ad aliquid referantur, habere: tamen vel ex hoc ipso loco constat, quod Megarici, quorum parens Euclides erat, eandem cum Menedemo sententiam tenuerint; deinde vero ipsa addita vox τῆ οὐσία Plutarchum Laërtio satis reconciliat. Ast Apollophanem, Aristonis discipulum, idem cum Menedemo & Megaricis de vnitae virtutis sensisse, hancque prudentiam adpellasse, ex eo Gassendus (c) Laërtii loco (d) refert, vbi, Παναστι, inquit, δύο φησὶν ἀρετὰς, θεωρητικὴν καὶ πρακτικὴν· ἀλλὰ δὲ τρεῖς, λογικὴν, καὶ φυσικὴν, καὶ ἠθικὴν· τέτταρας δὲ οἱ περὶ Ποσειδώνιον καὶ Πλάτωνα, οἱ περὶ Κλεάνθην, καὶ Χρυσίππον, καὶ Ἀντίπατρον. ὁ μὲν γὰρ Ἀπολλοφάνης μίαν λέγει, τὴν θεωρησιν, Panatius duas posuit virtutes, contemplatiuam & actiuam. Alii tres, rationalem, naturalem & moralem. Quatuor Posidonius; plures Cleanthes, Chrysippus & Antipater. Apollophanes vero vnam dicit virtutem, prudentiam. Et cum Zeno Cittieus, Stoicæ sectæ dux & auctor, prudentiam, virtutem illam veterum principem & vnam, dum in distribuendis rebus versatur & suum cuique tribuit, iustitiam, dum vero res eligit aut fugit, temperantiam, & dum aduersa sustinet, fortitudinem, teste Plutarcho (e) nuncupasset: factum inde est, vt vniuersa propemodum Stoicorum secta, conspiratione vel unita, paradoxon istud veritati non aduersum sibi commune (f) fecerit: τὰς ἀρετὰς ἀντακολουθεῖν ἀλλήλας, καὶ τὴν μίαν ἔχοντα πᾶσας ἔχειν, virtutes esse inter se copulatas, vt, qui vnam habet, omnes habeat; eoque ipso declarauerit, se ab illa aliorum opinione de vnitae virtutis non esse profus alienam. Transmittere annisi sunt hoc paradoxon ad posteritatem Tullius & Seneca magno studio, quorum ille bono viro non meliorem, nec temperante temperantiorem, nec forti fortiolem esse (g) adfirmat, quia vna virtus est, consentiens cum ratione & perpetua constantia. nihil huic addi potest, quo magis virtus sit; nihil demi, vt virtutis nomen relinquatur. Jungi potest huic loco alter (b), in quo a se ipso id sæpius disputatum Marcum filium commonet, quod qui vnam virtutem habeat, omnes habeat, quodque qui vnam confessus fuerit se non habere, nullam sit habiturus. Gemina habet Seneca in variis locis epistolarum suarum,

(c) animadv. in lib. X. Laërtii de mor. phil. Epic. p. m. 1437. (d) in vita Zenonis lib. VII. segm. 92. (e) l. c. p. 441. (f) Lipsius manud. ad Phil. Stoic. L. III. dist. IV. (g) Parad. III. ed. Grev. p. 199. (b) ex lib. III. Qu. Tuscul. c. 32.

arum, ex quibus vel vnicus iste (i) sufficiat: *Vna inducitur humanis virtutibus regula; vna enim est ratio recta, simplexque. Nihil inuenies recto rectius; non magis, quam vero verius, temperato temperatius. Omnis in modo virtus est. Quid accedere perfecto potest? nihil.* Immo dixerim, quod & Socrates & Plato & Aristoteles veritatem hujus placiti dissimulare prorsus non potuerint, vt ratione actionis externæ & pro conceptu nostro plures virtutes asseruerint. De Socrate, quem primum philosophiam moralem induxisse, & velut e caelo in terram deuocasse, vetus historia tradit, ipse *Stagirita* (k) ita loquitur: *Socrates partim recte quarebat, partim errabat. Nam quod virtutes omnes prudentias esse putabat, in hoc [iuxta Aristotelem] errabat; quod autem eas non vacare prudentia arbitrabatur, pulchre dicebat.* Sic etiam Platonem, Academiae veteris principem, sub prudentia itidem idea communi & generica virtutem omnem sibi suisque repræsentasse, præter Marfilium Ficinum in Menone *Apulejus* innuit, quando placitis Platonis etiam hoc (l) adnumerat: *Vnimodam esse virtutem: quod bonum suapte natura adminiculo non indiget.* Et quanquam Aristoteles, perinde ac Epicurus, aduersa semper cum Stoicis fronte pugnans, virtutes inter se connexas (m) neget, cum possit contingere, vt idem prudens sit ac iustus, qui intemperans tamen est incontinens: proxime tamen ad laudatam antea Stoicorum aliorumque veterum, quorum alioquin derisor erat perpetuus, mentem accedit, quando partim virtutem in genere per *habitu electiuum circa mediocritatem, quam vir prudens præscripserit*, definit; partim *justitiam vniuersalem* eam passim virtutem esse dicit, *quæ virtutes in sese reliquas complectatur omnes.* Ex quibus manifestum, quod aliam forte Stagiritæ sententiam mente fouerit, quam verbis expressit; quodque adeo *Scholasticorum* turba incondita non tam ejus, quam Thomæ Aquinatis auctoritatem fuerit secuta, quando virtutes specie distinctas & excellentia dispares dictitauit. Cumque eadem aciem & industriam *Arnoldi Geulincxii*, Philosophi Bataui alioquin præstantissimi, subterfugere minime potuerint: miror profecto, quod eo tamen jactantiæ fuerit abreptus, vt neminem præter se Philosophum egisse, seque vnum puræ putæ rationis naturalis acu veram virtutis indolem & vnitatem tetigisse (n) incautior gloriatur: *Quid ergo, exclamans? His omnibus, tum gentilibus,*

( ) 3 tum

(i) epist. LXV. (k) lib. VI. Nicomach. cap. vlt. (l) L. II. de habit. doct. Plat. p. 15. ed. Elmenhorst. (m) teste *Laërtio* L. V. segm. 31. (n) in præf. ethices suæ.

*tum Christianis, vnus ego subrilior ?* Neque enim annexum microscopiorum recentius inuentorum exemplum a iactantiæ ipsum suspitione factis liberat, cum gentiles & Christianos conjungat. Præterea mirari itidem subit, qui fieri potuerit, vt inane istud *Jesuitarum* commentum, quo actionem in se turpem & fœdam, per *intentionem* tamen bonam, legique conformem, fieri posse cominiscuntur, tam altas passim radices egerit, cum tamen eidem vnitas virtutis, & commune illud Moralistarum cordatiorum pronunciatum: *quod bonitas actionum moralium omnis in puncto consistat*, manifesto (o) reclamet. Sane si virtus in se & essentia sua spectata nihil aliud est, [\*] quam propositum & studium animi perpetuum ac indefessum, actiones suas omnes ad voluntatem DEI, quam vel recta ratio, vel diuiniore reuelatio manifestat, componendi; jam autem huiusmodi animi propositum & studium non nisi vnum esse queat; est enim dictamen rationis, quæ in se vna est, & a reuelationis lumine perfectiori saltim magis magisque perficitur: hæc de causâ virtus pro objectorum diuersitate se diuersimode quidem exerit, horumque intuitu varias fortitur denominationes, generaliori voce *officia* dictas, (p) sed tamen in se *vna* est, vt ut non *unica*. Etenim quando hoc propositum & studium animi se per officia DEO, auctori & conservatori rerum omnium, cultu vel interno vel externo exhibenda exerit, solemniore denominatione pietas; quando in affectuum regimine, & cibi potusque, aliarumue rerum, quæ nos circumstant, vsu rectius moderando occupatum est, temperantia; & quando se in officiis erga alios vel maxime ad voluntatem Numinis conformat, iustitia dici consuevit, & sic per reliqua. Et cum veræ virtutis laudem ac habitum nemo vere sibi vindicare queat, (q) qui in pactis seruandis neminem lædit, sed tamen intemperantiæ in cibo, potu & venere est negligens; aut qui

[\*] Ita rectius longe virtutem definiiri arbitror, quam si eam vel per *propositum animi faciendi ea, que ratio facienda decreuerit*, cum Cartesianis; vel per *morem rationalem* cum Viro quodam summo definiueris, cum *rationis terminus* adhuc valde obscurus sit, id quod virtutum est claræ & distinctæ definitionis: neque satis constet, num is *subiectiue* pro intellectu ratiocinante, nûm *objectiue* pro principiis rationis, iuxta quæ intellectus ratiocinatur, hoc loco sumatur; vt taceam rationis corruptæ cum recta commixtionem.

(o) conf. *Montalcium* ün litt. prouinc. epist. VII. p. 283. seqq. & *Wendrockii* notæ ad h. l. (p) conf. *Senecæ. Budeus. Acad. Jenerens. decus*, in instit. Phil. pract. P. I. c. IV. §. LXIII. & LXIV. add. instit. Theol. mor. P. I. cap. I. sect. 115 §. CXXI. (q) conf. *d'Espris* de la fausseté des vertus humaines passim.

qui liberalitatis talismodi est diribitor, vt plus accipiat, quam est largitus; neuter enim propositum habet, se ad voluntatem DEI componendi: hinc non *Tullii* modo, doctoris hac in re grauissimi, (r) monitis, sed florentissimorum sæpe regnorum, in pejus ruentium, exemplis edocemur, quod si officia virtutum a se inuicem diuellantur, neque prudentia, quæ circa vtilitatem status versatur, cum iustitia & vera animi honestate ac pietate copuletur, nemo mortalium veræ virtutis possessor existat, nec ulla Respublica vere felix & beata perstet. Centrum circuli refert virtus, quod vnum est reapse, sed varium & multiplex intuitu linearum, quæ ab eo sese circum circa in omnes peripheriæ regiones diffundunt. Et vti diuersæ intelligendi, volendi, imaginandi, & reminiscendi operationes non animam in homine diuersam, nec diuersæ vrendi, calefaciendi & lucendi vires ignem diuersum; aut diuersa iura majesticata multiplicem maiestatem efficiunt: ita virtus semper vna existit, vtut diuersa ejus dentur officia, vel ad DEVM, vel ad nosmetipsos, vel ad alios referenda. Confirmat hactenus assertam philosophiæ moralis doctrinam partim sacrarum litterarum auctoritas, quæ virtutem illam vnam mox per *sapientiam*, (s) mox per *timorem Domini*, (t) mox per *justitiam* aut *charitatem*, (u) mox per *vita sanctimoniam*, (w) generatim definit; partim patrum ecclesiæ consensus, quos inter *Ambrosius*, (x) *Gregorius* (y) & *Macarius*, (z) vnam pariter virtutem esse, sed opinione vulgi sejunctam condocent; cum qui vna destituitur virtute, ipsius gentilis sapientissimi (aa) effato, omnibus destituatur necesse sit. Atque hoc veræ virtutis veræque felicitatis stadium eo cordatius, eoque studiosius omnes veræ sapientiæ cupidos ingredi adhortabor, quo certiori prouidentia diuinæ documento factum, vt post fatum præmaturum viri longiori vita dignissimi, JO. CHRISTIANI SCHELLII, in jure vtroque Doctoris, & Moralium ac Politices Professoris in hac Academia non incelebris, *Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus CHRISTIANVS, Dux Saxonie, Julie, Clivia,*

(r) L. III. de Off. c. 7. & alibi pluries. (s) Job. XXVIII, 12.—28. (t) Psalm. XIX, 10. Sir. I, 16. (u) Ps. XLV, 8. Rom. XIII, 10. (w) Heb. IX, 8 (x) lib. I. de Off. c. 27. (y) lib. XXII. Moral. (z) de custodia cordis cap. VIII. p. 7. (aa) Cic. lib. III. Qu. Tusc. c. 32.



*via, Montium, Angria & Westphalia, Landgra-  
vius Thuringia, Marchio Misnia, Superioris item  
ac Inferioris Lusatia, Comes Principalis Henne-  
bergicus, Comes Marca, Rauensberga & Bar-  
bia, Dynasta in Rauenstein, &c. Dominus &  
Nutritius Academia nostra indulgentissimus,*

mihī morum statusque prudentiam docendi prouinciam, quam clemen-  
tissime demandauerit, eademque gratiosissima PRINCIPIS MEI  
SVMMI & OPTIMI voluntas REGIA & ELECTORALI  
AVCTORITATE nec non RELIQVORVM. NVTRITIO-  
RVM SERENN. CONSENSV confirmata fuerit. Cui muneri  
obcundo cum ex instituto majorum *orationem solemnem de honestatis, ju-  
sticia & utilitatis foedere artissimo*, velut genuino veræ & vnæ virtutis in-  
dicio, ad proximum Mercurii diem hora IX. in acroaterio mayo-  
ris Principum Collegii præmittere constituerim, ad nexum simul vni-  
uersæ Philosophiæ moralis, quam cum DEO traditurus sum in scholis  
meis, simul commonstrandum: idcirco *RECTOREM AC ADE-  
MIAE MAGNIFICVM, Procercs Reipublicæ Vriusque dignitate meri-  
tisque grauissimos, & omnes bona mentis virtutisque Fautores*, juxta cum  
*generosissimorum nobilissimorumque Virorum iuuenum*, qui in spem &  
decus patriæ sapientiæ veræ penes nos litant, *concione*, qua decet, animi  
obseruantia & humanitate veneror, atque obtestor, vt actum hunc præsen-  
tiæ suæ auctoritate & splendore cohonestare ne dedignentur, omnem ad-  
fectum & amorem tantum officiis studiisque deuinctissimis demerendi  
promptitudinem vicissim a me expectaturi. P. P. in Academia  
Lipsiensi Dom. VIII. Trin. A. MDCCXII.

---

L I P S I Æ, LITTERIS TITIANIS.

VAN 523628